

titudinem Vestram coluimus devotionem, maximo et publice et privatim dolore affecti fuimus. Fieri enim non potest, ut nos qui et Sumorum Pontificum observantissimi, et Sanctitatis imprimis Vestrae, atque illustri eius familiae maxima necessitudine conjuncti semper fuimus, si quid illi adversi accidat, ejus participes non simus.

Multum autem in eo damni passa est, non vestra modo Sanctitas, quae et unicum secundum carnem nepotem, et quem illi erat carissimum amisit; sed etiam Sancta Romana Ecclesia. Nam, quid erat quod de ejus prudentia virtuteque singulari optimum quisque sibi promittere non auderet? Verum, quamquam Sanctitas Vestra magno vulnere affecta est, tamen eam esse ipsius sapientiam scimus, ut dolorem suum sibi lenire possit. Etenim ex praecellissima illa sua institutione jam a prima usque aetate longoque postea rerum usu, nihil esse in hac vita perpetuum, miscerique semper amaris dulcia novit. Multa praeterea sunt, quibus adversitas haec (si qua modo adversitas sapienti evenire potest) propellatur. De his plura nos verba facere magnitudo bonitatis et sapientiae Sanctitatis Vestrae non patitur. Quare illud tantum addemus, quod, tum ex instituto Reipublicae nostrae, tum ratione perpetuae observantiae erga eam facere debemus, nihil ad gloriam et prosperitatem Beatitudinis Vestrae et suorum pertinere posse (quod in nostra positum manu sit) quod de nobis devotissimis filiis sibi non queat polliceri.

Die 12 Maji 1519.

155^b

Iesus Christus

In Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quingentesimo decimo nono, indictione VII, die vero X mensis Maji. Cum sit quod Sanctissimus Dominus noster D. Leo divina providentia Papa X, certioratus per litteras serenissimi Principis et excellentissimi D. Leonardi Lauredani incliti Ducis illustrissimique Venetorum Domini de praecelariis moribus, praestantissimis virtutibus, exemplari vita singularique sanctimonia beati Laurentii Justiniani protopatriarchae Venetiarum, requisitusque (prout talis viri sanctissimos mores decet) ipsum numero aliorum beatorum solemnem canonizationem aggregari, causam et cognitionem dictae canonizationis commiserit reverendissimo domino Altobello legato apostolico apud dictum Illustrissimum Domi-

nium agenti, reverendoque domino Episcopo cremo-nensi, ideo ut praefati Patriarchae nomen immortale reddatur debitumque canonizationis suum sortia-tur, praefatus serenissimus et excellentissimus Do-minus Leonardus Lauredanus Dux et Illustrissimum Venetorum Dominum, nomine suo et totius populi Venetiarum, omni meliori modo, via, jure et forma quibus magis et melius potuerunt et possunt, fece-runt, constituerunt et solemniter ordinarunt suos veros et legitimos procuratores et commissos spetia-les et generales, ita tamen quod spetialitas generali-tati non deroget, nec e contra, magnificos et clarissi-mos doctores dominos Georgium Pixanum equitem et Marinum Georgio senatores venetos, praesentes et acceptantes, simul et utrumque eorum in soli-dum, ita ut occupantis conditio potior non existat, sed quidquid unus eorum inceperit alter prosequi, 155* mediare et finire valeat, ad comparandum coram soprascriptis reverendissimis dominis commissariis et delegatis, et nomine praefatorum Serenissimi et Excellentissimi Ducis et illustrissimi Domini Veneto-rum canonizationem praedicti reverendissimi Proto-patriarchae petendam et obtinendam, scripturas et jura quaelibet necessaria producendum, testes exam-inari, et superinde processum formari petendum et faciendum secundum juris formam et disposi-tionem sacrorum canonum, et prout in similibus fieri et servari solitum est, et generaliter omnia alia et singula faciendum, quae in praedicta canoniza-tione obtinenda fuerint quomodolibet necessaria et opportuna, et quae juris ordo, dispositio sacrorum canonum, et facti importantia expostulant et re-quirunt, et si talia forent quae mandatum exigent magis spetiale quam praesentibus sit insertum, et quae praefati Serenissimus et Excellentissimus Dux ac Illustrissimum Dominum facere possent, si ades-sent. Promittentes habere firmum, ratum et gra-tum quidquid in praemissis et circa praemissa, per suprascriptos magnificos procuratores suos et quem-libet eorum factum, gestum et procuratum fuerit, et omnia per eos a suprascriptis reverendissimis do-minis Commissariis obtenta, perpetuis futuris tem-poribus observare, et ab aliis observare facere.

Actum in Sala Collegii praefati Illustrissimi Do-minii, praesentibus magnifico domino Joanne Petro Stella magno cancellario, et domino Aloysio Petri duicali secretario, testibus vocatis et rogatis.

NICOLAUS DE GABRIELIS

Ducalis Notarius.

(1) La carta 154* è bianca.